AVGVST. BVCCII,
CI. ROMANI PATRITII,
ET IN TAVR. GYMNASIO
Philoſophiæ Doctoris Eminentis,

VETERIS OPINIONIS DE VINI NVTRITIONE DEFENSIO.

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM
Illuſtrem Bonon. Acad. Medicinæ Doctorem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Legato



Laurentij de R

AVGVSTAE TAVRINORVM,

M. D. XCI.

AMPLISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE S.R.E. CARDINALI IOAN. ANTONIO FACHINETO.

AVGVSTINVS BVCCIVS. S. D.

CVI nam magis, Illuſtriſſime, & Sapientiſſime Cardinalis, duas haſcę meas phyſicas diſceptationes, vnã de Vini nutritione, alteram de eiuſdem commodis, & noxis, moderatoq;, & immodico illius vſu, pro loci Pliniani, nobis à viro eruditiſſimo ad explicandum propoſiti explanatione, dicauerim quàm tibi? Qui præter variam illam tuam, & multiplicem eruditionem, Philoſophiæ quoq;, & Medicinæ ſtudijs, Galeniq; potiſſimũ lectione ſucciſiuis horis delectaris, adeoq; ſobriè, & moderatè viuis, vt non minus ad temperãtiam, quàm ad prudentiam, vitęq; ſanctitatem vniuerſę Romanæ aulę præluceas. Quamquam me vnum aliud magis, ad id permouit, atq; impulit, ꝙ ſcilicet ab Illuſtri Philoſopho, & Medico Hieronymo Mercuriali Bononienſis, Academię Doctore primario, huic noſtræ, communiq; ſentẽtiæ cõtraria opinio propoſita fuit, publiceq; è ſuggeſtu defenſa, vt vel hac maximè ra-

tione tibi vni, non tam doctrinæ, quàm ciuitatis, & Academiæ nomine, quarum illa patria tua eſt, hæc verò alumna, veluti honorario arbitro, huius ipſius controuerſiæ iudicium debeatur. Accedit ſingularis humanitas, qua me ſexto abhinc anno à CAROLO EMAN. Sab. Duce Principe noſtro, ad SIXTVM olim V. P.M. Oratorem miſſum, complexus es, de varijsq; rebus, ad omnem Philoſophiam, & Medicinam ſpectantibus, iucundiſſimos mecũ ſermones in tuis illis Platonicis conuiuijs habuiſti. Accipe igitur hoc, qualecumq; meæ erga te obſeruantiæ pignus, tamquam arramboni, dum ego interim, fęlici omine tibi ſummum dignitatis gradum auguratus, maiora, tuaq; amplitudine digniora molior, quæ tamquam beneficentiſſimo Principi, literatorumq; liberaliſſimo Mœcenati, tuo quãdoq; nomine exornem. Vale. Ex Auguſta Taurinorum. M. D. XCI. VIII. Id Septemb.

MICHAELIS COLVMBI AD AVGVSTINVM BVCCIVM.

VRBE in Felſinea quos Mercurialis honores
Spumanti abſtulerat lingua diſerta mero.
Reſtituis BVCCI, *cumulatè, corpora monſtrans,*
Humana vt nutriat pabula grata ferens.
Nodoſæ poſthac vitis, patriſq; Lyæi
Dulciloqui æternum gloria maior erit.

AVGV-

AVGVST. BVCCII, PATRIT. ROMANI IN TAVRINEN. ACAD. Philoſophiæ Doctoris Eminentis,

COMMVNIS SENTENTIÆ. *De Vini nutritione defenſio.*

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM Illuſtrem Medicinæ Doctorem.

ALLATVM *ad nos, dum in Academicis congreßibus, & concertationibus verſaremur, ſuperiori anno per literas fuit (Hieron. Mercurialis, vir eruditißime) te in Bonon. Academia, in qua magna cum laude Medicinam doces, frequenti literatorum hominum, ſtudioſorumq; iuuenum concurſu & plauſu, publicè tutatum fuiſſe, nullam vino nutriendi, ſed craßioris tantum alimenti per venas diſtribuendi, ſpirituſq; recreandi vim ineſſe; idq; partim rationibus fretum, partim nonnullis Gal. & Ariſtotelis locis ad nos tranſmißis. Placuit nobis conatus hic tuus, quo veterum Stoicorum, Ciceroniſq; exemplo, placito illo quaſi admirabili, Studioſorum ingenia excitas, tuum verò etiam exerceas. Cæterum quia dogma hoc tuum ijs, quæ nos in libris de vniuerſa vini natura, differentijs, & cauſis, deq; nobiliorum eius generum*

ſecun-

ſecundum loca hiſtoria ſuperioribus annis ſcripſimus: & quæ proximè ſumus edituri apertiſsimè pugnat, licebit nobis iam à publico docendi munere per æſtum feriatis non contradicendi ambitione, ſed veritatis amore, propriæq; tuendæ ſententiæ ſtudio in hanc arenam deſcendere, idq; ipſum opus hoc vno non in opportuno capite veluti appendice, oblata à te occaſione adaugere. In quo poſt tuam opinionem ſuis firmatam argumentis locisq; citatis, nos contrarijs rationibus, cùm ex ipſa rei natura, tum & ex Gal. quem maximè profiteris authoritate depromptis, experimentis etiam nonnullis additis, vinũ potenter nutrire, nedum (vt ais) nullo modo, alere docebimus, tuas extremo loco rationes, locaq; allata pro viribus diluentes. Ita enim publico veluti inito certamine, & veritas emerget clarior, & Philoſophiæ, Medicinæq; ſtudioſi, qui te præſertim differentem audiuerunt, cauſa veluti dicta, quam magis probauerint ſententiam, amplectentur.

Fuit verò, ni fallor, tua præcipua ratio, ſolidas tantum animalis partes viuere, ideoq; ſolas verè ali, & nutriri. Ac cùm ea, quæ alunt, ijs quæ aluntur congenea, & ſimilia eſſe oporteat, atq; vt partibus adhæreant, lentore quodam participare, vinum quod neque actu craſſum, aut viſcidum eſt, neque verò potentia quippè aquea conſtans ſubſtantia Ariſtotelis teſtimonio libro quarto Meteor. quodque caloris efficientia non modo non craſſeſcit, ſed potius in aerem, & vapores ſoluitur, non eſſe nutritionis officio aptum, nec poſſe

in hominis ſubſtantiam verti. Pro qua ſententia confirmanda Gal. locum citabas ex lib. primo de naturalibus facultatibus, vbi de nutritionis officio diſſerens, non modo vini non meminit, ſed contrarium potius conceptis verbis protulit, totum inquiens, quod bibitur vinum excerni, eo dempto, quod per inſenſilem tranſpirationem, ſudores, & aluum emittitur. Quin, & libro quarto de vſu partium potus vſum eſſe ait ciborum materiam alioqui craſſam, vehiculi more per ſingulas corporis partes proferre. Cæterum quod ad dulcia, craſſaq; vina attinet, quibus magna nutriẽdi vis ineſſe dicitur, ea vina eſſe negas, propterea quod minimè omnium permeent, ac quod ebrietatem non inducant, quam vini propriam naturam eſſe contendis. Atque hæc ferè tuorum argumentorum, & ſententiæ ſumma eſt: quorum vis, & robur prius quàm expendatur, nos contra eam opinionem ex iꝭs, quæ in omni nutritione ſunt maximè neceſſaria, vinũ alere doceamus, nonnullis Ariſtotelico more hypoteſibus ex cõmuni ſapientum conſenſu acceptis. Quarum vna eſt, tria eſſe in omni nutritione in primis neceſſaria, quòd alitur corpus, alentem animam, ac præterea alimentum, quo veluti materia, & medio nutritionis opus perficitur. Animantium præterea corpora quatenus calida, & humida temperie conſtant, viuere, atque ali, dupliciq; conſtare interno humido, quorum primum ſingulis corporis partibus radicitus adhærens, primigenium, & ſolidum quodammodo; alterum verò roris inſtar partibus

Tria ĩ omni nutritione neceſſaria.

bus

bus ſuperficietenus effuſum, ad membra excalefacta nutrienda, & demulcenda roſcidum dicitur. Tertium præterea extrinſecus indies, ex ijs quæ intus ſumuntur, accedere, quod alimentum nuncupatur.

Tertia præterea ad id ſuppoſitio eſt, aßidua caloris innati efficientia vtrunque humidum dißolui, & in halitum verti, ita ferente neceßitate potius, quam Naturæ vſu, aut inſtituto poſtulante. Errant enim, qui calidum illud prima animatium origine, in humido congenito, quaſi in radice poſitum, veluti parcum, vitæq; auidum, ab humido congenito parcere, omninoq; abſtinere putant. Quaſi vero Naturæ principijs pugnet idem ſibi ipſi interitum afferre, non animaduertentes, ex accidenti euenire, vt proprio pabulo indomita caloris vi abſumpto, eo fere modo, quo ignis ſolus inter prima naturæ corpora ſeipſum gignit, & perdit, ſimiliter ex humidi congeniti depopulatione à calore facta intereat animal, & planta, non quidem per ſe, ſed ex accidenti, & per modum neceſſariæ ſequelæ. Hinc duplex nutritionis neceßitas oritur, vna quæ ſimilaribus primum particulis ab exiguis venulis, atq; ijs à maioribus ad cauam vſque venam, eademq; rurſus ab ephate, hoc vero à Meſaræo, & eo deinceps ab ore ventriculi miro quodam conſenſu trahentibus, à ſolidis partibus internum exhauſtum humidum ſingulatim reponat: altera, quæ roſcidum pari ratione reſtituat. Quorum materia eſt tertium illud extrinſecus accedens communeq; cibi, & potus alimentum. Duæ itáq; exurgunt

Error eorũ: qui credunt, calidum innatũ, in humidũ congenitum non agere.

gunt naturales cupiditates pro duplici humoris indigentia, vna quidem calidæ, ſolidioriſq; ſubſtantiæ, quæ alterius comparatione ſicca dicitur: altera fluxilioris inſtaurandæ: Quarum prima fames vocata edulijs, eſca, cibarijſq; tollitur; altera ſitis dicta frigidis, & humidis, aquæ nimirum potu per ſe (quod ad nudam primarum qualitatum ſymmetriã ſpectat) nutritionis verò & voluptatis, vel etiam penetrationis gratia, vini, aut eorũ, quæ vini vices in potu ſuppleant, potione ſedatur. Ac licèt fluxilioris humidi facilior, & promptior à calido innato diſſolutio fiat, prius tamen fame torquemur, quàm ſiti, eo quod exinanito alimentis corpore, calor primum, & maximè in ſolidas corporis partes ſuas vires exerceat. Quamobrem licèt prius humidum illud roſcidum abſumptum ſit, magis tamen vrget ſolidiorum partium inchoata, quàm fluxilis, roſcidiq; abſoluta diſſolutio. Accedit, quòd maior eſt roſcidi, quàm ſolidioris humidi copia. Quibus conſtitutis, ſi humidum illud fluxilius à calore vnà cum ſolido abſumptum, ſitienti animali natura poſtulante per potum ſuggeritur, in prioriſq; ſufficitur locum, cur hanc tam neceſſariam, tantoq; ſtudio à natura animantibus inditam inſtaurationem, nutritionem eſſe negauerimus? Neque enim nemo niſi ſcrupuloſior, nimiumq; Galeno adhærẽs humorẽ illũ nutriendis partibus proximum, non eſſe animalis partẽ contendet: quando ea partium ratio eſt, vt ſint materia totius, totum verò ſit partium forma. Humor

Duæ naturales cupiditates fames, & ſitis vnde.

autem ille, conſtituendo, ſeruandoq; corpori animalis neceſſarius eſt, vt pars materiæ. Simili enim ratione Ariſtoteles lib.iij.de animalium natura, poſt carnem, oſſa, neruos, ſanguinem etiam, adipem, & pinguedinẽ, aliaq; nonnulla in ſimilaribus partibus numerauit. Atque hæc quòd ad humani, quod alitur corporis rationem attinet. Nunc ab eius, qua ali debet, vini eſſentia argumenta ſumamus. Una igitur ratio ex vini ſymmetria eiuſmodi eſt. Quæcunque ex elementis miſta, concretaquè corpora calida, & humida temperie conſtant, palatoq; iucundè ſapiunt, ad nutriendũ idonea ſunt: vinum autem miſtum eſt ex elementis actu frigidum, & humidum, potentia calidum, guſtum, & palatum ob conuenientiam oblectans, igitur vinum eſt nutritioni aptum, & accommodatum. Quid enim aliud ex nutritione quæritur, quàm cal. innati in humido ſuſtentatio, quæ vita appellatur: quod vinum per ſuam temperiem, ac cum humana natura conſenſionem præſtat? Eſſe verò vini eſſentiam (licèt potiſſimam vim ab humida natura ſumat) ex reliquis elementis, terra videlicet, & aere conflatam, præter Platonis, Ariſtotelisq; & Theophraſti autoritatem experientia teſtatur. Ut enim de Platone dicamus, is in Timæo quatuor liquorum genera ex elementorum temperatione orta enumerat, Vinum, quod animam, & corpus calefacere ait (ſanguinis videlicet, & ſpirituũ, quæ animæ proxima ſubiecta, vel vehicula ſunt; & ex vino in homine gignuntur ratione (Oleum præterea,

Vini ſubſtãtia ethe rogenea.

Liquores quatuor ex elemẽtorum tẽperatione orti apud Plat. Vinũ, Oleũ,

Mel.

Mel, & ex arboribus manantes ſplendidos, acresq́; & odoratos ſuccos, quales ſunt Laſerpitij, Balſami, Thuris, Myrrhæ, & ſimilium. Ad hæc multiplex, & hæterogenea vini ſubſtantia ſanguini proportione reſpondens, idem ferè indicat, omni planè tempore, ſed maximè per vindemias teſtata. Quemadmodum enim in ſanguine præter Melancholicum ſuccum, qui in tota maſſa ſubſidet, & Pituitam, ſpumoſamq́; & bilioſam ſupernatantem ſubſtantiam quartus humor eſt dulcis, & nutriens, qui flos ſanguinis dicitur. Non ſecus in vino ſubſidet fæx: quæ paulatim depoſita, in ligneiq́; cadi fundo concreta Tartarum vulgò dicitur, eſt præterea ſeroſus, aqueusq́; humor difluens, & ſeſe in linteo ad ſenſum diffundens, cui ſupernatat ſpuma, aereaq́; ſubſtantia, apta odorum materia, & præter hæc omnia ſuccus ille vinoſus inſtar eius, qui flos in ſanguine dicitur. Hinc fortaſſe illud ſapientis dictum ad Alexandrum intemperantius vinum bibere ſolitum. Memineris (inquit) ò Rex te ſanguinem terræ bibere. Odores deinde, viniq́; ſapores varij, ex ſicci terrei, vel ignei in humido aqueo, vel aereo impreſſione orti, elementorū in eo miſtionē teſtantur, ſunt enim color, ſapor, odor non ſimplicium elementorum, ſed miſtorum corporum affectiones. Quòd ſi ſymbolorum, & affinium corporum facilis eſt inter ſe commigratio, & tranſitus, quid mirum, ſi pro noua ſpirituum, qui exhalauerint, generatione, eorumq́; qui in corde, venis, atq́; arterijs languidiores remanſerint refocillatione:

Mel, ſuccíq; odorati Laſerpitij Balſami, Thuris, Myrrhæ.

Vini ſubſtãtia multip ex ſanguini proportione reſpōdet.

 ex

ex aerea vini in ſanguinem iam verſi natura, atque omnino ex ſubtiliori eiuſdem ſanguinis parte nutriatur, & recreetur homo? Nouit id Gal. lib. xij. methodi, diſertiſq; verbis teſtatus fuit, in eum qui ſequitur „ modum. Cæterum amara præ vetuſtate vina ne „ ſunto, præſertimq; ijs exhibebis, quorum os ventriculi „ flaua bile vrgetur. Talia namq; ſimul laudabilem, „ ac nutrientem vini ſuccum iam amiſerunt, ſimulq; „ iniucunda cùm ſint, hoc ipſo ſtomachum offendunt.

Pauca hæc de vini ſubſtantia. Nunc ad eius qualitates, & differentias, quas in nutritione habet, conſiderandas deſcendamus, quæ ex coloribus, ſaporibus, odoribus, ſubſtantiæq; modo, & ætate ſumptæ nutritionis rationem euariant. A coloribus igitur exorſi, experientia docet in ſanorum, & ægrorum, aut mediorum, quibus febris non adſit, corporum nutritione omnium minimè alere vina alba, & aquoſa; & poſteà flaua, maximè verò nutrire fulua, rubra, & nigra. Adſcribere libet, ad id quod quotidiano victu obſeruatur, Galeni teſtimonium libro proximè citato, quod „ eiuſmodi eſt. Proinde cùm celeritas ſparſionis ſit aquo „ ſis cum fuluis communis, differentia rurſus in ijs erit, „ quòd coctioni, quæ in vẽtriculo, vel in uenis agitur, ful- „ ua magis conducant, propterea quod magis excalefa- „ ciunt. Præterea miſtibilia ſunt, & nutrientia, eòq; ad „ ſucci bonitatem opportuna, quorum nullum in aquoſis „ vinis eſt, nihil enim ex horum ſubſtãtia in ſanguinem mutatur. De ſaporibus verò quis ambigat, dulcia ma-

Vina fulua coctioni accommodata.

giſ quàm auſtera, atque hæc potentius acerbis, cæteriſq; ſiccioribus nutrire; ſi natura eos maximè ſapores requirit? Cæterum quòd ad vini odores, & fragrantiam attinet, duo hæc recreandis ſpiritibus apta adeò, conuenientiaq; ſunt, vt nulla re alia promptius, ægris ex virium lapſu delinquẽtibus, quàm generoſi vini odore naribus admoto ſuccurratur, quo exanimes ferè ab Orci faucibus reuocari videntur. Sed tu hoc quidem concedis, nutritionem autem eſſe negas, quia non per varias coctiones, & præparationes fiat. Ego verò, vt miſſam hoc loco faciam quæſtionem de odorum ſubſtantia, an nutriat, qua de re egimus ſuo loco, nempè in prælectionibus noſtris in lib. II. *Ariſtotelis de Anima; vt etiam omittam odorum, qui extrinſecus offeruntur, naturam & vim, id certè contendo, ex vaporoſa vini vnà cum cibo ſumpti, & in ſanguinem verſi ſubſtantia facilè gigni, & recreari ſpiritus, eamq; veræ cuiuſdam nutritionis ſpeciem exiſtere; quæ & mutatione ſubſtantiæ, & ab innato calore, pulſis etiam craßioribus, & fuliginoſis excrementis fiat. Multiplex verò illa coctio, & præparatio non in omni coctione neceßaria eſt, ſed in prima illa, & rudiori, vbi craſſior eſt, & impurior alimenti materia heterogenea, quæ non vnica poteſt coctione confici, ſeparato vtili ab inutili excremento. Sed & à differentijs, quæ à vini ſubſtantia ſumuntur, nutriendi in eo facultas agnoſcitur. ſunt enim ex ijs alia quidem craßa, alia tenuia, alia media; rurſus alia perſpicua, alia opaca & turbida,*

Vini odoris fragrãtiæ, mira vis in virium deficiẽtiũ inſtauratione.

Vinorum differẽtiæ in nutriẽdi officio variæ.

atq;

atq; ex eorum, quæ communi vulgi appellatione alba dicuntur, quædam, quæ dulcia, & vinoſa ſunt, & quæ nunquam clareſcunt, ſed homotina bibuntur, vt apud Burgundos Arboyſia, & apud noſtrates Montis Regalis Muſcata cum veteribus Falernis conferenda: quæ ſi tota per vrinas excolentur, aut quoquo modo excernantur, accuſanda erit natura, quòd improuida, & negligens, dulcem ſuccum humanæ vitæ iucundiſsimum vnà cum excrementis ſecernat, quem alioqui in venis ad ſanguinis generationem continere debuerat. Quamquam neque per halitum ob craßitiem diſlari queunt, neque quoties illa bibuntur, toties aliquid in vrinis turbidum, aut in alui excrementis liquidum ſemper apparet, quod tamen fieret neceſſariò, ſi præter ſeroſum humorem per vrinas excerni ſolitum, per eas vias reſidua illa pellerentur. Quotidiana præterea experientia teſtatur, vina craſſa, & dulcia plurimũ ſanguinis gignere. Nam ex largiori illorum vinorum potu, & faciem hominibus rubere, & venas turgeſcere, omninoq; bibaces pinguiores reddi compertum eſt, quod non eſſet ſi tota vini ſubſtantia excerneretur. Reipſa præterea experimur, vuas validè nutrire, vel indicio Auium Montanarum, & quadrupedum, quæ omnia vindemiarum tempore ex earum eſu pinguiora fiunt, vndè multò magis vuarum ſuccus ſordibus depurgatus alet, quale vinum eſſe, eius definitio tradita oſtendit. Deinde & differentiæ, quæ ex vini ætate ducũtur, non ex Gal. modo authoritate, quam negari

Vina Burgundica. Arboiſiæ. Mõtis Regalis Muſcata veteribus falernis conferenda.

Animalia multa vindemiarũ tẽpore ex vuarũ eſu impinguantur.

poſſe ais, ſed ex ſenſu, & experimento nutritionem variam reddunt. Conſtat enim nouum vinum parum ob impuritatem alere, minus verò id, quod plus iuſto inueterauerit, cùm nutriens ille ſuccus euanuerit mediæ verò ætatis vina (ſi cætera conſenſerint) plurimũ, accommodatiſſimumq; exhibere alimentum. Ac quamquam multo magis rationum, quam authoritatis in diſputando momenta quærenda ſint, ne Pythagoræos imitemur, quos ferunt cùm aliquid in congreſſibus ſumerent, & ab ijs quæreretur, cur ita eſſet, reſpondere ſolitos, IPSE DIXIT, licebit tamen nobis poſt allatam rationẽ, aut experimentum, vel tui ipſius exemplo, Gal. loca nonnulla ad priorum confirmationem, & robur ſubijcere, quando & ipſe Ariſtoteles poſt neceſſarias allatas rationes placita ſua veterum conſenſu, & authoritate, probabilibusq; argumentis confirmare conſueuit. Craſſa itaq; vina plurimum nutrire teſtatus eſt apertiſſimè Galenus varijs quidem locis, ſed præcipuè lib. xiiij. Methodi obeſorum corporum curationem pertractans. Sanè, inquit, in ijs „ curandis conueniet, & vina quæ multum nutriunt vi„ tare, cuius generis craſſa ſunt, vti verò vel aquoſis, „ ideſt colore albis, ſubſtantia tenuibus, vel quibus ma„ re eſt admixtum. Poſtremò ex ægrorum, conuale„ ſcentum, aut quoquo pacto ſiue ex morbo, ſiue ex corporis labore, aut laſſitudine, ſiue ex animi curis languentium refectione, vinum potenter, & citiſſimè nutrire deprehenditur. Nemo enim eſt vini potui aſſue-

Vinũ nouum parũ, ob impuritatẽ, nutrit.

Craſſa vina [illegible] nutriunt.

tus, qui non pluries ſiue in ſeipſo ſenſerit, ſiue in alijs, è graui morbo recreatis animaduerterit, vel vnius vini potu plus virium, & roboris languentibus acceßiſſe, quàm omnium quantumlibet nutrientium ſorbitionum, & ciborum copia ingeſta. Docuit id apertè Gal. lib. vij. methodi de languentium refectione agens.
,, *Iam vini (inquit) tum qualitatem, tum quantitatem*
,, *memoremus, vtpote quod maximam ad talia vim*
,, *habet, quando hoc vno vtendum cenſeo omnibus, qui-*
,, *bus refici corpus eſt opus, modo non febricitent. Lubet hoc loco Ioannis Thomæ Blanzalij Sauillianen. Medici eruditiß. viriq; optimi teſtimonium ad nos ſcriptis, hoc ipſo quo ſcribebamus tempore, tranſmiſſum, quod totam hanc controuerſiam dirimat, ſubiungere, ijs pro-*
,, *pè, quæ ſequuntur verbis.*

Elegans hiſtoria quæ vinũ nutrire conuincit.

,, *Anno ſal. M. D. LXIX. in Raudenſium pago*
,, *Laudenſis ditionis, quod Burgetum dicitur, Baptiſta*
,, *Biſamino inope admodum, ex ſæua pleuritide ſub-*
,, *lato, vxor prægnans relicta, poſtera die puellam eni-*
,, *xa fuit. Quam cum amiſſo præ mærore, vberumq;*
,, *affectu lacte, in ſumma inopia, reiq; frumentariæ ca-*
,, *ritate, poſt menſem, quo illa propinquarum quarũdam*
,, *nutricum bonæfico filiam nutrierat, alere iam longius*
,, *non poſſet, nouum tentauit, quod tum in promptu erat,*
,, *nutriendorum infantium remedium. Mollis igitur*
,, *ſpongiæ uino imbutæ fruſto, puellæ labris admoto, in-*
,, *ſtillatis per vices vini guttulis, tandiu ſeruata puel-*
,, *la eſt, quoad offa, & ferculis, liquidioribusq; alimen-*

tis

tis aſſueuit. Mirabile viſum eſt id, oppidanis omni- „ bus, egoq; ipſe dum publico ære in S. Columbani, apud „ Laudem Pompeam, non ignobili oppido, Medicinam „ facerem, filiam quatuor iam annos natam, optimoq; „ corporis habitu præditam de facie noui. Hactenus ille. Quo quid clarius, quàm uinũ, quod ſenibus iã repueraſcentibus lactis inſtar eſſe, communi prouerbio dicitur, infantibus recens natis, verè lactis munus ad nutritionis opus expleuiſſe? Sed quid vltrà laboro in re luce meridiana clariore? Audiatur idem ipſe Gal. in loco maximè proprio, libro videlicet vltimo de alimentorum facult. totam hanc controuerſiam diſertis verbis dirimens. Vinum (inquit) omnium confeſſione ex „ eorum numero eſt, quæ noſtrum corpus alunt, ſi autem „ quicquid alit, alimentũ eſſe fateamur, uinum ipſum in „ alimentorum cenſu ponendum erit. Nonnulli verò „ Medici id alimentum appellandum eſſe negãt. Nam „ alimentum, quod & cibum, & edulium, & eſcam vo „ camus, potus ſeu potionis contrarium eſſe dicunt, eáque „ de cauſa vinum, alimentum vocare nolunt, quamquã „ alere hoc ipſum non diffiteantur, quod vnum ſanè in „ præſentia requirimus. Quibus Gal. verbis quid cla- „ rius, aut expreſſius dici poterat, ſi ſtatim initio affirmat vinum omnium confeſſione alere, licèt nõnullis illorum temporum medicis, in quorum veſtigia tu quodammodo incidiſti placuerit, illud alimento contrarium facere; qui nihilominus illud alere faterentur? Cæterùm quod tu ad hoc, aliaq; Gal. loca reſpondes, non de ea nu-

tione tibi vni,non tam doctrinæ,quàm ciuitatis, & Academiæ nomine,quarum illa patria tua eſt,hæc verò alumna,veluti honorario arbitro,huius ipſius controuerſiæ iudicium debeatur. Accedit ſingularis humanitas,qua me ſexto abhinc anno à CAROLO EMAN. Sab. Duce Principe noſtro, ad SIXTVM olim V. P.M. Oratorem miſſum,com plexus es, de varijsq; rebus, ad omnem Philoſophiam,& Medicinam ſpectantibus,iucundiſſimos mecũ ſermones in tuis illis Platonicis conuiuijs ha buiſti. Accipe igitur hoc,qualecumq; meæ erga te obſeruantiæ pignus, tamquam arramboni, dum ego interim, fęlici omine tibi ſummum dignitatis gradum auguratus,maiora,tuaq; amplitudine digniora molior, quæ tamquam beneficentiſſimo Principi, literatorumq; liberaliſſimo Mœcenati, tuo quãdoq; nomine exornem. Vale. Ex Auguſta Taurinorum. M. D. XCI. VIII. Id Septemb.

MICHAELIS COLVMBI AD AVGVSTINVM BVCCIVM.

VRBE in Felſinea quos Mercurialis honores
Spumanti abſtulerat lingua diſerta mero.
Reſtituis BVCCI, cumulatè,corpora monſtrans,
Humana vt nutriat pabula grata ferens.
Nodoſæ poſthac vitis, patriſq; Lyæi
Dulciloqui æternum gloria maior erit.

AVGV-

AVGVST. BVCCII, PATRIT. ROMANI IN TAVRINEN. ACAD. Philoſophiæ Doctoris Eminentis,

COMMVNIS SENTENTIÆ De Vini nutritione defenſio.

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM Illuſtrem Medicinæ Doctorem.

ALLATVM ad nos, dum in Academicis congreßibus, & concertationibus verſaremur, ſuperiori anno per literas fuit (Hieron. Mercurialis, vir eruditiſsime) te in Bonon. Academia, in qua magna cum laude Medicinam doces, frequenti literatorum hominum, ſtudioſorumq́ iuuenum concurſu & plauſu, publicè tutatum fuiſſe, nullam vino nutriendi, ſed craßioris tantum alimenti per venas diſtribuendi, ſpiritusq́ recreandi vim ineſſe; idq; partim rationibus fretum, partim nonnullis Gal. & Ariſtotelis locis ad nos tranſmißis. Placuit nobis conatus hic tuus, quo veterum Stoicorum, Ciceronisq́ exemplo, placito illo quaſi admirabili, Studioſorum ingenia excitas, tuum verò etiam exerceas. Cæterum quia dogma hoc tuum ijs, quæ nos in libris de vniuerſa vini natura, differentijs, & cauſis, deq; nobiliorum eius generum

ſecun-

ſecundum loca hiſtoria ſuperioribus annis ſcripſimus: & quæ proximè ſumus edituri apertiſsimè pugnat, licebit nobis iam à publico docendi munere per æſtum feriatis non contradicendi ambitione, ſed veritatis amore, propriæq; tuendæ ſententiæ ſtudio in hanc arenam deſcendere, idq; ipſum opus hoc vno non inopportuno capite veluti appendice, oblata à te occaſione adaugere. In quo poſt tuam opinionem ſuis firmatam argumentis locisq; citatis, nos contrarijs rationibus, cùm ex ipſa rei natura, tum & ex Gal. quem maximè profiteris authoritate depromptis, experimentis etiam nonnullis additis, vinũ potenter nutrire, nedum (vt ais) nullo modo, alere docebimus, tuas extremo loco rationes, locaq; allata pro viribus diluentes. Ita enim publico veluti inito certamine, & veritas emerget clarior, & Philoſophiæ, Medicinæq; ſtudioſi, qui te præſertim diſſerentem audiuerunt, cauſa veluti dicta, quam magis probauerint ſententiam, amplectentur.

Fuit verò, ni fallor, tua præcipua ratio, ſolidas tantum animalis partes viuere, ideoq; ſolas verè ali, & nutriri. Ac cùm ea, quæ alunt, ijs quæ aluntur congenea, & ſimilia eſse oporteat, atq; vt partibus adhæreant, lentore quodam participare, vinum quod neque actu craſsum, aut viſcidum eſt, neque verò potentia quippè aquea conſtans ſubſtantia Ariſtotelis teſtimonio libro quarto Meteor. quodque caloris efficientia non modo non craſſeſcit, ſed potius in aerem, & vapores ſoluitur, non eſſe nutritionis officio aptum, nec poſſe

in hominis ſubſtantiam verti. Pro qua ſententia confirmanda Gal. locum citabas ex lib. primo de naturalibus facultatibus, vbi de nutritionis officio diſſerens, non modo vini non meminit, ſed contrarium potius conceptis verbis protulit, totum inquiens, quod bibitur vinum excerni, eo dempto, quod per inſenſilem tranſpirationem, ſudores, & aluum emittitur. Quin, & libro quarto de vſu partium potus vſum eſſe ait ciborum materiam alioqui craſſam, vehiculi more per ſingulas corporis partes proferre. Cæterum quod ad dulcia, craſſaq; vina attinet, quibus magna nutriẽdi vis ineſſe dicitur, ea vina eſſe negas, propterea quod minimè omnium permeent, ac quod ebrietatem non inducant, quam vini propriam naturam eſſe contendis. Atque hæc ferè tuorum argumentorum, & ſententiæ ſumma eſt: quorum vis, & robur prius quàm expendatur, nos contra eam opinionem ex ijs, quæ in omni nutritione ſunt maximè neceſſaria, vinũ alere doceamus, nonnullis Ariſtotelico more hypoteſibus ex cõmuni ſapientum conſenſu acceptis. Quarum vna eſt, tria eſſe in omni nutritione in primis neceſſaria, quòd alitur corpus, alentem animam, ac præterea alimentum, quo veluti materia, & medio nutritionis opus perficitur. Animantium præterea corpora quatenus calida, & humida temperie conſtant, viuere, atque ali, dupliciq; conſtare interno humido, quorum primum ſingulis corporis partibus radicitus adhærens, primigenium, & ſolidum quodammodo; alterum verò roris inſtar parti-

Tria ĩ omni nutritione neceſſaria.

bus

bus ſuperficietenus effuſum, ad membra excalefacta nutrienda, & demulcenda roſcidum dicitur. Tertium prætereà extrinſecus indies, ex ijs quæ intus ſumuntur, accedere, quod alimentum nuncupatur.

Error eorũ: qui credunt, calidum innatũ, in humidũ congenitum non agere.

Tertia prætereà ad id ſuppoſitio eſt, aſsidua caloris innati efficientia vtrunque humidum diſsolui, & in halitum verti, ita ferente neceſsitate potius, quam Naturæ vſu, aut inſtituto poſtulante. Errant enim, qui calidum illud prima animãtium origine, in humido congenito, quaſi in radice poſitum, veluti parcum, vitæq; auidum, ab humido congenito parcere, omninoq; abſtinere putant. Quaſi verò Naturæ principijs pugnet idem ſibi ipſi interitum afferre, non animaduertentes, ex accidenti euenire, vt proprio pabulo indomita caloris vi abſumpto, eo ferè modo, quo ignis ſolus inter prima naturæ corpora ſeipſum gignit, & perdit, ſimiliter ex humidi congeniti depopulatione à calore facta intereat animal, & planta, non quidem per ſe, ſed ex accidenti, & per modum neceſſariæ ſequelæ. Hinc duplex nutritionis neceſsitas oritur, vna quæ ſimilaribus primum particulis ab exiguis venulis, atq; ijs à maioribus ad cauam vſque venam, eademq; rurſus ab ephate, hoc verò a Meſaræo, & eo deinceps ab ore ventriculi miro quodam conſenſu trahentibus, à ſolidis partibus internum exhauſtum humidum ſingulatim reponat: altera, quæ roſcidum pari ratione reſtituat. Quorum materia eſt tertium illud extrinſecus accedens communeq; cibi, & potus alimentum. Duæ itáq; exurgunt

gunt naturales cupiditates pro duplici humoris indigentia, vna quidem calidæ, ſolidiorisq; ſubſtantiæ, quæ alterius comparatione ſicca dicitur: altera fluxilioris inſtaurandæ. Quarum prima fames vocata eduliis, eſca, cibariisq; tollitur; altera ſitis dicta frigidis, & humidis, aquæ nimirum potu per ſe (quod ad nudam primarum qualitatum ſymmetriã ſpectat) nutritionis verò & voluptatis, vel etiam penetrationis gratia, vini; aut eorũ, quæ vini vices in potu ſuppleant, potione ſedatur. Ac licèt fluxilioris humidi facilior, & promptior à calido innato diſſolutio fiat, prius tamen fame torquemur, quàm ſiti, eo quod exinanito alimentis corpore, calor primum, & maximè in ſolidas corporis partes ſuas vires exerceat. Quamòbrem licèt prius humidum illud roſcidum abſumptum ſit, magis tamen vrget ſolidiorum partium inchoata, quàm fluxilis, roſcidiq; abſoluta diſſolutio. Accedit, quòd maior eſt roſcidi, quàm ſolidioris humidi copia. Quibus conſtitutis, ſi humidum illud fluxilius à calore vnà cum ſolido abſumptum, ſitienti animali natura poſtulante per potum ſuggeritur, in priorisq; ſufficitur locum, cur hanc tam neceſſariam, tantoq; ſtudio à natura animantibus inditam inſtaurationem, nutritionem eſſe negauerimus? Neque enim nemo niſi ſcrupuloſior, nimiumq; Galeno adhærẽs humorẽ illũ nutriendis partibus proximum, non eſſe animalis partẽ contendet: quando ea partium ratio eſt, vt ſint materia totius; totum verò ſit partium forma. Humor

Duæ naturales cupiditates fames, & ſitis vnde.

B autem

autem ille, conſtituendo, ſeruandoq; corpori animalis neceſſarius eſt, vt pars materiæ. Simili enim ratione Ariſteteles lib. iij. de animalium natura, poſt carnem, oſſa, neruos, ſanguinem etiam, adipem, & pinguedinẽ, aliaq; nonnulla in ſimilaribus partibus numerauit. Atque hæc quod ad humani, quod alitur corporis rationem attinet. Nunc ab eius, qua ali debet, vini eſſentia argumenta ſumamus. Vna igitur ratio ex vini ſymmetria eiuſmodi eſt. Quæcunque ex elementis miſta, concretaque corpora calida, & humida temperie conſtant, palatoq; iucundè ſapiunt, ad nutriendũ idonea ſunt: vinum autem miſtum eſt ex elementis actu frigidum, & humidum, potentia calidum, guſtum, & palatum ob conuenientiam oblectans, igitur vinum eſt nutritioni aptum, & accommodatum. Quid enim aliud ex nutritione quæritur, quàm cal. innati in humido ſuſtentatio, quæ vita appellatur: quod vinum per ſuam temperiem, ac cum humana natura conſenſionem præſtat? Eſſe verò vini eſſentiam (licèt potiſſimam vim ab humida natura ſumat) ex reliquis elementis, terra videlicet, & aere conflatam, præter Platonis, Ariſtotelisq;, & Theophraſti autoritatem experientia teſtatur. Vt enim de Platone dicamus, is in Timæo quatuor liquorum genera ex elementorum temperatione orta enumerat, Vinum, quod animam, & corpus calefacere ait (ſanguinis videlicet, & ſpirituũ, quæ animæ proxima ſubiecta, vel vehicula ſunt, & ex vino in homine gignuntur ratione (Oleum præterea,

Vini ſubſtãtia ethe rogenea.

Liquores quatuor ex elemẽtorum tẽperatione orti apud Plat. Vinũ, Oleũ,

Mel, & ex arboribus manantes ſplendidos, acresq;, & odoratos ſuccos, quales ſunt Laſerpitij, Balſami, Thuris, Myrrhæ, & ſimilium. Ad hæc multiplex, & hæterogenea vini ſubſtantia ſanguini proportione reſpondens, idem ferè indicat, omni planè tempore, ſed maximè per vindemias teſtata. Quemadmodum enim in ſanguine præter Melancholicum ſuccum, qui in tota maſſa ſubſidet, & Pituitam, ſpumoſamq;, & bilioſam ſupernatantem ſubſtantiam quartus humor eſt dulcis, & nutriens, qui flos ſanguinis dicitur. Non ſecus in vino ſubſidet fæx: quæ paulatim depoſita, in ligneiq; cadi fundo concreta Tartarum vulgò dicitur, eſt præterea ſeroſus, aquæusq; humor difluens, & ſeſe in linteo ad ſenſum diffundens, cui ſupernatat ſpuma, aereaq; ſubſtantia, apta odorum materia, & præter hæc omnia ſuccus ille vinoſus inſtar eius, qui flos in ſanguine dicitur. Hinc fortaſſe illud ſapientis dictum ad Alexandrum intemperantius vinum bibere ſolitum. Memineris (inquit) ò Rex te ſanguinem terræ bibere. Odores deinde, viniq; ſapores varij, ex ſicci terrei, vel ignei in humido aqueo, vel aereo impreſſione orti, elementorũ in eo miſtionẽ teſtantur, ſunt enim color, ſapor, odor non ſimpliciũ elementorum; ſed miſtorum corporum affectiones. Quòd ſi ſymbolorum, & affinium corporum facilis eſt inter ſe commigratio, & tranſitus, quid mirum, ſi pro noua ſpirituum, qui exhalauerint, generatione, eorumq; qui in corde, venis, atq; arterijs languidiores remanſerint refocillatione

Mel, ſuccíq; odorati Laſerpitij Balſami, Thuris, Myrrhæ.

Vini ſubſtãtia multiplex ſanguini proportione reſpõdet.

ex aerea vini in ſanguinem iam verſi natura, atque omnino ex ſubtiliori eiuſdem ſanguinis parte nutriatur, & recreetur homo? Nouit id Gal. lib. xij. methodi, diſertisq́ verbis teſtatus fuit, in eum qui ſequitur „ modum. Cæterum amara præ vetuſtate vina ne „ ſunto, præſertimq; ijs exhibebis, quorum os ventriculi „ flaua bile vrgetur. Talia namq; ſimul laudabilem, „ ac nutrientem vini ſuccum iam amiſerunt, ſimulq; „ iniucunda cùm ſint, hoc ipſo ſtomachum offendunt.

Pauca hæc de vini ſubſtantia. Nunc ad eius qualitates, & differentias, quas in nutritione habet, conſiderandas deſcendamus, quæ ex coloribus, ſaporibus, odoribus, ſubſtantiæq; modo, & ætate ſumptæ nutritionis rationem euariant. A coloribus igitur exorſi, experientia docet in ſanorum, & ægrorum, aut mediorum, quibus febris non adſit, corporum nutritione omnium minimè alere vina alba, & aquoſa; & poſteà flaua, maximè verò nutrire fulua, rubra, & nigra. Adſcribere libet, ad id quod quotidiano victu obſeruatur, Galeni teſtimonium libro proximè citato, quod „ eiuſmodi eſt. Proinde cùm celeritas ſparſionis ſit aquo„ ſis cum fuluis communis, differentia rurſus in ijs erit, „ quòd coctioni, quæ in vẽtriculo, vel in uenis agitur, ful„ ua magis conducant, propterea quod magis excalefa„ ciunt. Præterea miſtibilia ſunt, & nutrientia, cóq; ad „ ſucci bonitatem opportuna, quorum nullum in aquoſis „ vinis eſt, nihil enim ex horum ſubſtãtia in ſanguinem mutatur. De ſaporibus verò quis ambigat, dulcia magis

Vina fulua coctioni accommodata.

giſ quàm auſtera, atque hæc potentius acerbis, cæteriſq; ſiccioribus nutrire, ſi natura eos maximè ſapores requirit? Cæterum quòd ad vini odores, & fragrantiam attinet, duo hæc recreandis ſpiritibus apta adeò, conuenientiaq; ſunt, vt nulla re alia promptius, ægris ex virium lapſu delinquẽtibus, quàm generoſi vini odore naribus admoto ſuccurratur, quo exanimes ferè ab Orci faucibus reuocari videntur. Sed tu hoc quidem concedis, nutritionem autem eſſe negas, quia non per varias coctiones, & præparationes fiat. Ego verò, vt miſſam hoc loco faciam quæſtionem de odorum ſubſtantia, an nutriat, qua de re egimus ſuo loco, nempè in prælectionibus noſtris in lib. II. Ariſtotelis de Anima; vt etiam omittam odorum, qui extrinſecus offeruntur, naturam & vim, id certè contendo, ex vaporoſa vini vnà cum cibo ſumpti, & in ſanguinem verſi ſubſtantia facilè gigni, & recreari ſpiritus, eamq; veræ cuiuſdam nutritionis ſpeciem exiſtere; quæ & mutatione ſubſtantiæ, & ab innato calore, pulſis etiam craßioribus, & fuliginoſis excrementis fiat. Multiplex verò illa coctio, & præparatio non in omni coctione neceßaria eſt, ſed in prima illa, & rudiori, vbi craſſior eſt, & impurior alimenti materia heterogenea, quæ non vnica poteſt coctione confici, ſeparato vtili ab inutili excremento. Sed & à differentijs, quæ à vini ſubſtantia ſumuntur, nutriendi in eo facultas agnoſcitur. ſunt enim ex ijs alia quidem craßa, alia tenuia, alia media; rurſus alia perſpicua, alia opaca & turbida,

Vini odoris fragrãtiæ mira vis in virium defi ciẽtiũ inſtauratione.

Vinorum differẽtiæ in nutriẽdi officio variæ.

atq;

atq; ex eorum, quæ communi vulgi appellatione alba dicuntur, quædam, quæ dulcia, & vinoſa ſunt, & quæ nunquam clareſcunt, ſed homotina bibuntur, vt apud Burgundos Arboyſia, & apud noſtrates Montis Regalis Muſcata cum veteribus Falernis conferenda: quæ ſi tota per vrinas excolentur, aut quoquo modo excernantur, accuſanda erit natura, quòd improuida, & negligens, dulcem ſuccum humanæ vitæ iucundiſſimum vnà cum excrementis ſecernat, quem alioqui in venis ad ſanguinis generationem continere debuerat. Quamquam neque per halitum ob craßitiem diſlari queunt, neque quoties illa bibuntur, toties aliquid in vrinis turbidum, aut in alui excrementis liquidum ſemper apparet, quod tamen fieret neceſſariò, ſi præter ſeroſum humorem per vrinas excerni ſolitum, per eas vias reſidua illa pellerentur. Quotidiana præterea experientia teſtatur, vina craſſa, & dulcia plurimũ ſanguinis gignere. Nam ex largiori illorum vinorum potu, & faciem hominibus rùbere, & venas turgeſcere, omninoq; bibaces pinguiores reddi compertum eſt, quod non eſſet ſi tota vini ſubſtantia excerneretur. Reipſa præterea experimur, vuas validè nutrire, vel indicio Auium Montanarum, & quadrupedum, quæ omnia vindemiarum tempore ex earum eſu pinguiora fiunt, vndè multò magis vuarum ſuccus ſordibus depurgatus alet, quale vinum eſſe, eius definitio tradita oſtendit. Deinde & differentiæ, quæ ex vini ætate ducùntur, non ex Gal. modo authoritate, quam negari

Vina Burgundica. Arboiſia. Mõtis Regalis Muſcata veteribus falernis conferenda.

Animalia multa vindemiarũ tẽpore ex vuarũ eſu impinguantur.

poſſe

poſſe ais, ſed ex ſenſu, & experimento nutritionem variam reddunt. Conſtat enim nouum vinum parum ob impuritatem alere, minus verò id, quod plus iuſto inueterauerit, cùm nutriens ille ſuccus euanuerit mediæ verò ætatis vina (ſi cætera conſenſerint) plurimũ, accommodatiſſimumq; exhibere alimentum. Ac quamquam multo magis rationum, quam authoritatis in diſputando momenta quærenda ſint, ne Pythagoræos imitemur, quos ferunt cùm aliquid in congreſſibus ſumerent, & ab ijs quæreretur, cur ita eſſet, reſpondere ſolitos, IPSE DIXIT, *licebit tamen nobis poſt allatam rationẽ, aut experimentum, vel tui ipſius exemplo, Gal. loca nonnulla ad priorum confirmationem, & robur ſubijcere, quando & ipſe Ariſtoteles poſt neceſſarias allatas rationes placita ſua veterum conſenſu, & authoritate, probabilibusq; argumentis confirmare conſueuit. Craſſa itaq; vina plurimum nutrire teſtatus eſt apertiſſimè Galenus varijs quidem locis, ſed præcipuè lib. xiiij. Methodi obeſorum corporum curationem pertractans. Sanè, inquit, in ijs curandis conueniet, & vina quæ multum nutriunt vitare, cuius generis craſſa ſunt, uti verò vel aquoſis, id eſt colore albis, ſubſtantia tenuibus, vel quibus mare eſt admixtum. Poſtremò ex ægrorum, conualeſcentum, aut quoquo pacto ſiue ex morbo, ſiue ex corporis labore, aut laſſitudine, ſiue ex animi curis languentium refectione, vinum potenter, & citiſſimè nutrire deprehenditur. Nemo enim eſt vini potui aſſue-*

Vinũ nouum parũ, ob impuritatẽ, nutrit.

Craſſa vina plurimum nutriunt.

tus,

tus, qui non pluries ſiue in ſeipſo ſenſerit, ſiue in alijs, è graui morbo recreatis animaduerterit, vel vnius vini potu plus virium, & roboris languentibus acceßiſſe, quàm omnium quantumlibet nutrientium ſorbitionum, & ciborum copia ingeſta. Docuit id apertè Gal. lib. vij. methodi de languentium refectione agens.
„ Iam vini (inquit) tum qualitatem, tum quantitatem „ memoremus, vtpoſe quod maximam ad talia vim „ habet, quando hoc vno vtendum cenſeo omnibus, qui„ bus refici corpus eſt opus, modo non febricitent. Lubet hoc loco Ioannis Thomæ Blanzalij Sauillianen. Medici eruditiß. viriq; optimi teſtimonium ad nos ſcriptis, hoc ipſo quo ſcribebamus tempore, transmiſſum, quod totam hanc controuerſiam dirimat, ſubiungere, ijs pro„ pè, quæ ſequuntur verbis.

Elegans hiſtoria quæ vinũ nutrire conuincit.

„ Anno ſal. M. D. LXIX. in Raudenſium pago „ Laudenſis ditionis, quod Burgetum dicitur, Baptiſta „ Biſamino inope admodum, ex ſæua pleuritide ſub„ lato, vxor prægnans relicta, poſtera die puellam eni„ xa fuit. Quam cum amiſſo præ mærore, vberumq; „ affectu lacte, in ſumma inopia, reiq; frumentariæ ca„ ritate, poſt menſem, quo illa propinquarum quarũdam „ nutricum bonæfico filiam nutrierat, alere iam longius „ non poſſet, nouum tentauit, quod tum in promptu erat, „ nutriendorum infantium remedium. Mollis igitur „ ſpongiæ uino imbutæ fruſto, puellæ labris admoto, in„ ſtillatis per vices vini guttulis, tandiu ſeruata puel„ la eſt, quoad offa, & ferculis, liquidioribusq; alimen-

tis

tis aſſueuit. Mirabile viſum eſt id, oppidanis omnibus, egoq; ipſe dum publico ære in S. Columbani, apud Laudem Pompeam, non ignobili oppido, Medicinam facerem, filiam quatuor iam annos natam, optimoq; corporis habitu præditam de facie noui. Hactenus ille. Quo quid clarius, quàm uinũ, quod ſenibus iã repueraſcentibus lactis inſtar eſſe, communi prouerbio dicitur, infantibus recens natis, verè lactis munus ad nutritionis opus expleuiſſe? Sed quid vltrà laboro in re luce meridiana clariore? Audiatur idem ipſe Gal. in loco maximè proprio, libro videlicet vltimo de alimentorum facult. totam hanc controuerſiam diſertis verbis dirimens. Vinum (inquit) omnium confeſſione ex eorum numero eſt, quæ noſtrum corpus alunt, ſi autem quicquid alit, alimentũ eſſe fateamur, uinum ipſum in alimentorum cenſu ponendum erit. Nonnulli verò Medici id alimentum appellandum eſſe negãt. Nam alimentum, quod & cibum, & edulium, & eſcam vocamus, potus ſeu potionis contrarium eſſe dicunt, eáque de cauſa vinum, alimentum vocare nolunt, quamquã alere hoc ipſum non diffiteantur, quod vnum ſanè in præſentia requirimus. Quibus Gal. verbis quid clarius, aut expreſſius dici poterat, ſi ſtatim initio affirmat vinum omnium confeſſione alere, licèt nõnullis illorum temporum medicis, in quorum veſtigia tu quodammodo incidiſti placuerit, illud alimento contrarium facere; qui nihilominus illud alere faterentur? Cæterùm quod tu ad hoc, aliaq; Gal. loca reſpondes, non de ea nu-

tritione, quæ alimenti in eius, quod alitur ſubſtantiam mutatione fiat, ſed de illius productione in ſingulas viuentis partes locutum, cui vinum opportuniſſimum eſt, non modo propoſitis obiectionibus non ſatisfacit, imò verò apertiſſimè eidem Galeno aduerſatur, quippè „ qui paulo poſt ſubijcit. In præſentia verò differentias, „ quæ penes alimenti rationem verſantur, ſumus tradi- „ turi, hinc ſumpto initio. Ergo inter omnia vina, rubra, „ craſſaq́ generando ſanguini ſunt apta, vt quæ minimo „ negotio in eius naturã tranſeũt, mox nigra, craſſaq; cum „ quadam dulcedine; deinde quæ colore rubent, quæq́ ni- „ gra ſunt, aut craſſa conſiſtentia, cumq; hoc adſtringen- „ te: minimè omnium alunt candida, & tenuia, aquis hy dromelite accommodatis ferè ſimilia. Hæc Galenus, quæ omnia quemadmodum, & alia quæ de dulcium, & craſſorum vinorum nutritione, ex eodem auctore recenſuimus, non ad eam, quam ais ciborum productionem, ſed ad veram, & legitimam nutritionem pertinent. Quòd verò ad nigra, & craſſa attinet, quæ à vinorum cenſu explodis, ſimile etiam de dulcibus iudiciũ faciens, propterea quod ebrietatem non faciant, quam vnam vini proprietatem eſſe contendis, licèt huius ſententiæ auctorem habeas Ariſt. lib. quarto Meteor. non tamen propterea tutum tibi fuit à communi Homeri, Hippocratis, Gal. Dioſcor. Plinij, aliorumq́ omnium ſapientum ſententia diſcedere. Hoc enim placitum tuum primum euertit vini definitio, quam nos in lib. de vniuerſa vini natura ita aſſignauimus. Vinum eſt

Vina nigra, & craſſa malè, & præter ſummorũ virorũ ſententiam à vinorũ ordine reijciuntur.

ex maturis vuis defluens, vel elicitus, ſordibusq; depurgatus ſuccus. Quòd ſi craſſa & dulcia, quæ toto æuo craſſitiem, & dulcedinem retinent, vina non ſunt, nunquid illa ad omphacium, loram, ſapam, aut acetũ (tot enim ex vuis, aut vino liquores fiunt) referentur? An veteres omnes ſapientes falſi in vini appellatione fuere? cùm præſertim Homerus (cui tantum Ariſtoteles defert) vina nigrore & dulcedine commẽdauerit: Hoc enim vinorum genere Grecia olim abundabat. Nunquid, & noſtra hac ætate inſularibus Ægei maris vinis Chio, Lesbio, Rhodio, Naxienſi, Cretico, Cyprio, Conſtantinopolim adnauigatis, vt plurimum dulcibus, & craſſis, leuiora, auſteraq;, & aquoſa vina, quæ circa Euxini maris littora leguntur, ad tincturam, robur, & ſuauitatem addendam, condiunt, & miſcent, in vinarijs tabernis Turcæ? An prætereà Ariſtoteles Arcadici vini meminit, quod fumo ſiccatum non niſi ex utribus deraſum biberetur? Cui proximum noſtra hac ætate vinum quoddam eſt, quod ab Aiamontio Regulo ex ſuæ ditionis locis lectum, Principi olim noſtro ſuperioribus annis ex Hiſpania miſſum fuerat. Erat porrò id duodecim annorum, in Indias, atque rurſus ex ijs in Italiam naui aduectum tantæ craſſitiei, & dulcedinis, vt ſapa, & melle craſſius, & dulcius ad binas vncias mane epotum, cibi, & potus fungeretur vice. Quòd autem ſubijcis, hæc vina non eſſe, quia ebrietatem non faciant, haud etiam probarim. Nam præterquam quod non admittitur, noſtro-

Homerus vina nigra, & dulcia cõmendat.

Vinũ Arcadicũ apud Ariſt. fumo ſiccatum, ac quod ex vtribus deraſum aquaq; diſſolutum bibebat.

Vinũ Aiamonirũ Hiſpanicum, xij. annorũ, egregie dulcedinis, Mellis, & ſapę inſtar, cibi, & potus vice fungens.

Vina dulcia noſtrorum temporum ebrietatem faciunt.

rum locorum, & temporum vina dulcia ebrios non facere, reſpondemus non ex abuſu, ſed ex vſu, neq; ex ijs, quæ ex accidenti, ſed ex ijs, quæ per ſe fiunt, rerum proprietates, & naturas eſſe dijudicandas: Ebrietas verò non vſum, ſed vini abuſum, & intemperantiam ſequitur, eſtq; omnino præter naturæ inſtitutum. Neque rectè proprietas dicitur, quippe neque omni vino ineſt, ſed odoratioribus tantum, & fortioribus, qualia ea fuere, quæ ebrios homines facere, Ariſtoteles, Græcis aſſuetis vniuerſim protulit; neque ſolius vini opus ebrietas eſt, quando & Zythi, quod Germani Birram, & Ceruiſiam vocant, & Vryti Athenæi ſuperfluus potus, ebrios homines faciat, licèt eo diſcrimine, quòd eo potus genere ebrij ſupini cadant, ex vino autem temulenti in omnem partem labantur. Tartari præterea tenuiſſimis lactis partibus vi ignis ſublatis, atq; à craßioribus ſeparatis, paratißimo potus genere vtuntur ad ebrietatem faciendam. Sed neque omnes indifferenter homines nimio vini potu ebrij fiunt, imò verò ſtrenui multi potatores eius vim, atq; impetum peruincunt. Inebriantur præterea vino bruta quædam animantia eius potui aßueta, vt Equi, Canes, Vrſi, Aueſq; nonnullæ. Neq; me detinet citatus Ariſtotelis locus ex iiij. Meteor. Non enim ibi dulcem ſaporem, & craßitiem à vini natura alienam eſſe dixit, totum genus & latitudinem ſpectans, ſed ſpeciem potius quandam mediocritatis, & vniuerſitatis in vinis, quorũ maxima pars aquea, & aerea ſubſtantia, minimum terræ admittente conſtat,

Ex Birræ, & Ceruiſiæ potu inebriati ſupini cadunt.

ſtat, ſaporeq; vel auſtero, vel acri, vel alio ſimili; quos omnes vno vinoſi nomine, complexus eſt Ariſtoteles. Craßiora itaq; , & dulcia vina, egregiæ præſertim dulcedinis, ac præter modũ excellentis craßitiei, licet à communi vini ſubſtantia peculiariq; illius ſapore, quodãmodo degenerent, non tamen propterea vina eſſe deſinunt, ſed uina ſunt, ſecundæ (vt aiunt) notæ vel ſpeciei.

Atq; ut ad tuũ tandẽ argumentũ deſcendamus, quo maxime conaris efficere, uinũ non alere, ſolidas inquis tantummodo animalis partes nutriri, conſimili uidelicet craßiori, tenacioriq; alimento, quale ex edulijs, non item ex uino liquidiori præſtatur. Primùm aſſumptio hæc tua non omnino uera eſt. Nã, & humida quædam, & diſcurrentia, ſeu (ut alijs placet) impetum facientia uiuunt, animáq; participant, ut ſpiritus, in quibus tanquam in proximo ſubiecto, uel potius, ut in deferente uehiculo anima reſidet. Alioqui nihil dat, quod non habet; neque deferre poſſunt ſpiritus in omnem corporis partem animam, & uitam, ſi inanimi fuerint. Sed hæc fuſius in noſtra de ſede animæ, deq; ſpirituum animatione ſuperioribus annis edita quæſtione. Nunc ad tuam illã rationem redeamus, demusq; ex ſuppoſitione, uitam, & nutritionem, primùm, & maxime ad ſolidas pertinere partes; imò uero etiam ad inſtrumẽta, & organa, quorum anima actus eſſe dicitur: an propterea ſimilaribus partibus, ut carni, neruisq; & oßibus uitam, & nutritionem denegabimus, cũ alioqui tota diſsimilarium ſubſtantia ex ijs ſit conſtituta? An

Spirituũ animatio oſtẽditur

potius, ut anima primum diſsimilarium perfectio eſt, & actus, ſecundario uerò etiam diſsimilariũ, quæ ſunt illarum materia: Ita animal primum ali dicemus, per ſolidius illud humidum, quod ex cibis reponitur, ſecundariò uerò etiam per roſcidi, & liquidioris inſtaurationem, uino, liquidioribusq; potionibus præſtare ſolitam? Deinde ſi quotidiano paſtu uina in ſtomacho, cibarijs miſcentur, indéq; per coctionem elixationi ſimilem, ex tota ciborum, & potuum maſsa ſuccus elicitur chyloſus; pulticulæ ſimilis, qui ſanguinis in uenis atq; hepate, per ulteriorem coctionem gignendi materia eſt; cur uinũ ita ad minimas uſque partes confuſum, & miſtum, uehiculo tantum, non etiam nutritioni, in ſubſtantiamq; mutationi inſeruiet? Dices, quia fluidum; Atqui nutritio ſapientum conſenſu per minima fit, minimum autem ſanguinis, ut minimæ carni apponatur uehiculo indiget: an igitur quo tempore illud apponitur, recedit uehiculum, remanet caro, ita ut detur minus minimo, abeatque quodammodo in nihilum liquidius illud, quod detulit? Nunquid præterea, ſi uinum non nutriat, ſed ſolo penetrationis, & diſtributionis alimenti officio fungatur, decoctum cinamomi huic muneri aptiſsimũ, idem planè officium, non in ægris modo, ſed & in ſanis præſtabit? Quod placitum ſi quis quantumuis elegans Medicus, ſuis è febre conualeſcentibus, longioremq; aquæ potum, aut inediam faſtidientibus ægrotis tuis illis ſubtilioribus rationibus ſuadere tentauerit, affirmare auſim, eum id fruſtra, magnaq; ſui nominis,

&

& apud ægros initæ gratiæ iactura tentaturum. Poſtremò cur uinum omnino tenue, & aqueum facis, cùm tamen ſenſus doceat, vinoſum illum ſuccum candidis mantilibus conſperſum; poſt aqueum humorem circumfuſum, uiolaceam in medio maculam haud facilè delebilem impreſſam relinquere, quod craſſitiei indiciū eſt? Non enim (ut tu ais) id propterea contingit, quia ſuccus ille altius penetret, quando multa craſſa, & lenta, maculas altè impreſſas relinquunt, ut Oleum; plurima verò valde penetrantia, vt aqua ardens, vi ignis liquata, nulla prorſus relinquant macularum veſtigia. Quod enim Ariſtoteles ait, vinum aquæa conſtare natura, id ita accipien. eſt, vt in eo, licet hæterogenæo, aqueus exuperet, & dominetur humor, quemadmodū in lacte, ſanguine, & alijs omnibus fluidis cōtingit, quæ alioqui ſenſibilem habent elementorum miſtionem. Reſtat Gal. locus lib. primo de naturalibus facult. cuius ,, verba ſunt hæc. At id totum quod bibimus vrinam ,, fieri, niſi ſi quid cum aluo exijt, aut per ſudorem, aut per ,, inuiſibilem perſpiratum abijt, oſtendit planè eius, quod ,, quotidiè meijmus, copia. Qui locus, cùm apertiſſimè alijs innumeris pugnet, in quibus vinum alere, & in ſanguinem mutari palàm prodidit, atq; alia quidē vina maiorem, alià minorem vrinæ copiam gignere, rationali quadam coniectura, & iudicio ita intelligendus adhibita eſt, ut ſcilicet non omnino totum, ſed maxima

Gal. locus de vini totius quod bibitur, per vrinas excretione explicatur.

ſus in venis maneat: Quomodo enim potuit id Galenus leui tantummodo coniectura fretus tot alijs locis contra reclamantibus pro constanti aſſerere? Nam quod ad urinæ copiam attinet, quæ quotidiè meÿtur, nō id eiuſmodi eſt, vt totum omnino, quod bibitur vinum, ferculis præſertim multis vnà cum cibo ſumptis, alijsq; aquoſis ciborum excrementis ſimul cum vrina exeuntibus, ſecerni colligat. Sed Galenus aduerſus Lupi veteris Medici ſententiam, qui vrinam nutritionis renū, ſolum excrementum dicebat, paulo liberius egit: rectius autem, & contractius ad illius operis calcem, qui locus proprius eſt in quo tota nutritionis forma cōcluditur, nō omnino totum, ſed paulò minus totum excerni, varijs additis circunſtantijs protulit, ijs quæ ſequuntur verbis. „Sicuti verbi gratia multis eorum, qui immodicè „bibunt, & ocyßimè tranſit quod biberunt, & meÿtur „intra breue tempus paulò minus totum. Quippe ijs quo„que cum qualitatis conuenientia, tum humoris tenuita„te, tum uaſorum laxitate, non ipſorum modo, ſed etiam „eorum oris, tum trahentis facultatis robore celeritas di„geſtionis perficitur. Deinde paucis quibuſdam interiectis ſubijcit. Ipſorum verò vinorum quod album eſt, „& purum tenuitatis gratia promptè in corpus digeri„tur, ſicut è contrariò nigrum, & turbidum craßitudinis vitio per uim hæret, ac tardatur. Quæ omnia aut tuā euertunt ſententiam, qua omnem uino craßitudinem denegaſti, aut Galenum inconſtantem, & lubricum faciūt, cuius proinde auctoritatis parua ratio habēda ſit,

repu-

repugnante præſertim experientia totáq; ſimul Philoſophorum, & Medicorum ſchola.

Pluribus tecum agerem, niſi mihi cum viro doctißimo rem eſſe intelligerem, quem rationum pondere, conſcientiáq; veritatis magis, quàm argumentorum numero moueri decet. Tu pro tua illa ſolita humanitate noſtrum hoc erga te officium æquo, vt à nobis profectum eſt, tuendæ noſtræ ſententiæ animo, optimáq; erga te voluntate accipito. Quòd enim ad dogma illud tuum attinet, quod ad ingenij exercitationem à te propoſitum arbitramur, ſi id vt verum, & conſtans nouis rationibus & argumentis, quæ nobis probentur, tutatus denuò fueris, parati erimus, vel tacitè veritati aſſentientes manus dare, vel ſi ea non probentur, inſtituto denuò certamine, id ipſum refellere, in communiq; recepta ſententia (à qua, niſi vim facientibus rationibus diſcedere fas eſt) conſtantiſsime perſtare. Tu boni conſule, & vale. Ex Acad. noſtra. M. D. XCI.

AVGVST. BVCCII AD PRIOREM DISCE-PTATIONEM

APPENDIX,

Qua Plinij locus de commodis, & noxis, quę vini potum conſequuntur, malè à nonnullis emendatus, explicatur.

AD priorem de vini nutritione diſceptationem, hæc Pliniani loci obſcurioris, nobis iamdudum ab Vgolino Martellio Glannatum Epiſcopo, viro optimo, & eruditißimo ad explicandũ propoſiti explanatio, corollarij loco accedat. Eſt vero locus propoſitus ex lib. xiiij. nat. hiſt. cap. quinto, quod cũ
„ perbreue ſit, libet hoc loco annotare. Vino natura eſt,
„ exhauſto accendendi calore viſcera intus, foris infuſo
„ refrigerandi. Nec alienum fuerit commemorare hoc
„ in loco, quod Androcydes ſapiẽtia clarus ad Alexan
„ drum Magnum ſcripſit, intemperantiam eius cohibens.
„ Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem
Vinum ſanguis terrę. *„ terræ: cicuta homini venenum eſt: cicuta vinum.*
„ Quibus præceptis ſi ille obtemperaſſet, profecto amicos
„ in temulentia non interemiſſet: Prorſus vt iure dici
„ poßit, neque viribus corporis, vino vtilius aliud, neque
aliud voluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit. Eſt ve-

rò in extremis verbis difficultas non leuis, cū ea non ſatis aptè cum præcedentibus cohærere videantur. Etenim vini vſum recenſens, eum ad vires refert, contra verò perniciem ex abuſu, ad voluptates: quæ toto genere diſtant: Comparatio verò, & contrarietas ad ea ſpectant, quæ eiuſdem generis diſparata, ad idem ſecundum idem referuntur. Quid autem voluptatibus, & viribus commune eſt, vt hæc contra poni debeant? Vinum præterea immodicè bibitum voluptatibus pernicioſum eſſe Ganeones negauerint, & omnino ij, apud quos largius bibendi inualuit cōſuetudo. Viſus eſt locus hic nobis, vt alijs quàm multis vel primo aſpectu difficilis, mendiq́; ſuſpicione non vacans, & qui ita corrigi poſſit, vt pro (voluptatibus) viribus, aut voluptarijs aut valentibus legendum ſit, aut aliud ſimile. Ita enim rectius verba conſentire videbuntur (iure ſcilicet dici poſſe, neque uiribus corporis uino utilius aliud, neque aliud uiribus, aut ualentibus, pernicioſius, ſi modus abſit. Verùm hæc mihi acrius conſideranti, ueteremq́; (ut ſoleo) lectionem (niſi aliter cogat neceſſitas) retinere cupienti, in mentem uenit, nulla, uerbis ita iacentibus, opus eſſe emendatione, ſi illorū ſenſa non tanquam à popularis hiſtoriæ ſcriptore, ſed ut à Philoſopho prodita

ſum refrigerandi enarraſſet, prioraq; incommoda Androcydis exemplo confirmaſſet, tandem ſimilem eſſe in uini facultatibus ut intus ſumitur, per uſum, & abuſum, ſeu permodicum, & nimium illius potũ contrarietatem oſtendit. Eo namq; modicè ſumpto, nihil eſt corporis uiribus utilius, quod & ſuperiori diſputatione probatum eſt, & à Plat. confirmatum lib. ij. de legibus ijs „ uerbis. Vinum (ut ferunt multi) hominibus datum „ eſt, ut inſaniant: ut autem ſermo noſter habet, reme„ diũ potius, & medicina in contrariũ, ut ſcilicet animus „ quidem pudorẽ, corpus autem ſanitatem, & uires adipiſcatur. Quæ Plat. uerba de modico illius uſu intelligẽda.

Vinũ ad prudentiam, & pudorẽ confert. Vinũ ad vires, & bonã valetudinẽ cõducit.

Contra verò, eodem uino immodicè ſumpto nihil pernicioſius, præſertim ſi corporis, animiq; conſenſus uoluptatum ſpectetur. Sed dices, quid viribus cum uoluptatibus commune eſt, ut ex ijs de uini commodis, & noxis per antitheſin iudicium fiat? Deinde cur uinum uoluptatibus alioqui amiciſſimum, aucta copia ijſdem fit pernicioſum? An dicendum, ut uires, ita & uoluptates ad corporis ſanitatem referri? Vinum itaq; modicè ſumptum, per corporis nutritionem, palatiq; oblectationem ſano corpori ſimul utile, & iucundum eſt; idemq; plenis faucibus ingurgitatum, & ualetudini contrarium, & guſtatui inſuaue. Obruente enim id, quod diſtribui debet alimentum, tenui illo, fluidoq; uehiculo crudis ſuccis refertur corpus; qui uiribus obſunt: Non enim ijs quæ ingerimus, ſed ijs quæ concoquimus perficitur nutritio; neque uerò uoluptas,

Vini ſuperfluè poti incommoda.

quanto

quanto aut nimio, ſed naturæ conuenientia, & modo iudicatur. Quo ſanè voluptatis nomine (quod alioqui inuidioſum eſt, & infamiæ ſubiectum) ſi iucũdum illud in ſenſibus intellexerimus, quod modum, & mediocritatem retinet, planiſsimum erit quod dicitur, vini potum immodicum voluptatibus in moderatione poſitis aduerſari. Vt enim labor in venatu, ſudor, curſus, fames, ſitis Lacedemonijs olim erant epularum condimenta. Ita moderatio, intermiſsio, præuiumq; & miſtum voluptatibus deſideriũ, earum augent perceptionem: Contra verò intemperantia, luxuſq; omnis, crapula, comeſsationes, ebrietas, reliquaq; ſuperflua, omnem verè voluptatis ſenſum in faſtidium, & ſacietatem vertunt: Ita elixæ, aſſæ, varijsq; modis conditæ dapes, malè affectis, vel crapula plenis, vel nauſeantibus voluptatem præſtant nullam: puris verò, beneq; habentibus, & exercitatis corporibus, naturalis, conuenienſq; appetentia (vt Homerus ait) dulcia omnia, deſiderataq; reddit. Quod & pulchrè de ſuperfluo vini potu confirmauit Horat. ſubtile palatum exſurdari immodico vini potu affirmans lib. ij. Sermonum Sat. viij. ad Fundanũ de cæna Mecænati præbita, ijs quæ ſequuntur carminibus.

Voluptatum intermiſſio earũ vſum, & deſiderium auget.

„ *Feruida quod ſubtile exſurdant vina palatum.*

Sed & alijs omnibus corporis voluptatibus obeſt immodicus vini potus, ſoluta nimirum à ſuperfluo eius calore, & humore corporis ſymmetria, in qua vita, bonaq; valetudo conſiſtit. Quin & amatorias voluptates, procreandiq; officium aut obſcurat, aut minuit, ſpiritibus nimirum inundantis vini copia extinctis, aut certè obrutis; quod & Plato admonuit lib. ij. de leg. Hinc illud Plutarchi de Alexan. Magni temulentia. „ *Illatus ſermo fuit, Alexandrum non largè bi-* „ *biſſe, ſed multum ſpatium in bibendo, & fabulando* „ *cum amicis triuiſſe. Id vanum eſſe Philinus ex com-* „ *mentarijs Regijs demonſtrabat, in quibus frequentiſſi-* „ *me, & paſſim relatum eſt.* HVNC DIEM EX „ CRAPVLA ALEXANDER SOMNO EXE- „ GIT, INTERIM ETIAM SEQVENTEM, „ QVA DE CAVSA IN VENEREM FVIT „ SEGNIOR. *Quin & eundem ex bibendi certamine* „ *in ægritudinem incidiſſe, à qua tandem iugulatus eſt,* „ *Ephippius tradidit; qui ab alijs Hiſtoricis in hoc diſſen-* „ *tit, quippè qui veneno eum ſublatum ferunt. Nec modo corporis, ſed & animi voluptatibus, quibus virtutis, temperantiæq; conſcij ſapientes fruuntur, obeſt vini potus nimius, vel ipſius Alexandri Magni exemplo: in quo nihil ad abſolutam gloriam criminata eſt antiquitas, præter temulentiam, atque inde ortam in amicos crudelitatem. Quid igitur mirum ſi naturalis hiſtoriæ ſtylo duriuſculo conſcriptæ auctor Philo-*

Vini vſus immodicus venori aduerſatur.

Regnum ſummorũ actiones ex die ĩ diẽ in cõmẽtarijs antiquitus notabantur.

Simile de aſſueto Rege lib. Heſter.

ſophus

ſophus moderatum vini potum, ad vires faciendas, immodicum ad obſcurandas voluptates, partim Phiſicum, partim ciuilem agens admonuit? Quando natura ita comparatum eſt, VT VOLVPTATES COMMENDET PARCIOR RARIORQ. VSVS, OBRVATQ. REDVNDANS.

FINIS.

Fr.Bartholomeus Rocca de Pralormo Inquiſitor Taurini,& Niciȩ vidit,permittitq́; vt imprimantur.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE